

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De conventiculis

Disputatio Theologica ...

... Prior eaque historica

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Gottesheim, Johann Ernst von
Leonhard, Georg Friedrich**

Argentorati, 1705

§. 1

urn:nbn:de:bsz:31-105832

§. 1.

§. 1.
Ordo.

Universam tractationem nostram de *Conventibus & Conventiculis* in duo Capita dispescemus, quorum prius *Historiam* quandam, sed brevem tantum & nostro instituto commodam enarrabit: alterum vero *Judicium Theologicum* subjunget, de his, è quibus iudicium ferri poterit facile, de iis quæ affinitatem quandam cum nostris habent. *Historicam* autem Narrationem quod spectat, exponet ea conventus illos vel *Veterum*, vel *Modernorum*, cumque & *publici* fuerint conventus & *privati* de illis breviter, prolixius autem de his acturi sumus; unde totius tractationis *Oeconomiam* facile licebit animadvertere.

§. 2.

CAP. I.
Historicū.
de
antiquis.
§. 2.
Quod fuerint.

Conventus *Veterum* in Ecclesia primitiva fuisse & quidem sæculo statim primo, non tantum Apostolorum acta, sed Pauli Epistolæ satis testantur. Act. enim c.II. v. 1, 14. *Pentecostes die congregati erant uno animo.* & 1. Corinth. XI. ipsos Corinthios conventus publicos habuisse, aperte satis Apostolus significat, sicut & ex hoc Conventuum publicorum jus quoddam colligi possit ex praxi Apostolica petitum, de quo forte aliàs D. V. sed nec sequentibus sæculis abrogati sunt conventus, & Cætus Christianorum publici, quemadmodum ex Historia Ecclesiastica singulorum sæculorum illud facile est intelligere.

§. 3.

§. 3.
Publici.

Ut autem, quid intelligamus per *publicos* Conventus, sciatur. *Publicum* hoc loco nobis non est, quicquid Persona una aliqua publica facit; quemadmodum abusus hujus vocis & acceptionis nonnullis ad palliandos errores adhibetur; sed *publicum* dicitur hoc loco partim ratione *loci*, partim ratione auctoritatis & personarum, vel membrorum Cætus & Conventus. Quo sensu in V.T. *publicum* Conventum dicimus v. g. Hierosolymis extracto Templo actum à Judæis vel universis, vel pluribus, idque mandato Divino ipsis Sacerdotibus & Levitis divina auctoritate ministrantibus Altari, ordinibus in specie